et obsecratione cum gratiarum actione petitiones uestre innotescant apud deum. Et pax dei que exsuperat omnem sensum custodiat corda uestra et intelligentias uestras in christo ihesu domino nostro. De cetero fratres quecumque sunt uera quecumque pudica quecumque iusta quecumque sancta quecumque amabilia quecumque bone fame si qua uirtus si qua laus discipline hec cogitate que et didicistis et accepistis et audistis et uidistis in me hec agite: et deus pacis erit uobiscum. Gauisus sum autem in domino uehementer: quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire: sicut et sentiebatis. Occupati autem eratis non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio et humiliari. scio et habundare. ubique et in omnibus institutus sum et satiari et esurire et habundare. et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Verumptamen bene fecistis communicantes tribulationi mee. Scitis autem et uos philippenses quod in principio euangelii quando profectus sum a macedonia nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati et accepti nisi uos soli: quia et thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. non quia quero datum sed requiro fructum habundantem in rationem uestram. Habeo autem omnia et habundo. Repletus sum acceptis ab epafrodito que misistis in odorem suauitatis: hostiam acceptam placentem deo. Deus autem meus impleat omne desiderium uestrum: secundum diuitias suas in gloria in christo ihesu. Deo autem et patri nostro et honor et gloria in secula seculorum amen. Salutate omnem sanctum in christo ihesu. Salutant uos qui mecum sunt fratres: salutant uos omnes sancti. maxime autem qui de cesaris domo sunt. Gratia domini nostri ihesu christi cum spiritu uestro amen.

Explicit epistola ad philippenses.

Ad colosenses et hii sicut laodicenses sunt asiani et ipsi preuenti erant a pseudo prophetis nec ad hos accessit apostolus ipse. sed et hos per epistolam corrigit. Audierant enim uerbum ab archippo qui et ministerium in eos accepit. Ergo apostolus iam ligatus scribit eis ab epheso. Explicit prologus.

Paulus apostolus ihesu christi per uoluntatem dei. et timotheus frater his qui sunt colosis sanctis et fidelibus fratribus in christo ihesu: gratia uobis et pax a deo patre nostro. Gratias agimus deo et patri domini nostri ihesu christi semper pro uobis orantes: audientes fidem uestram in christo ihesu et dilectionem quam habetis in sanctos omnes: propter spem que reposita est uobis in celis. quam audistis in uerbo ueritatis euangelii quod peruenit ad uos. sicut et in uniuerso mundo est. et fructificat et crescit sicut in uobis. Ex ea die qua audistis et cognouistis gratiam dei in ueritate: sicut didicistis ab epaphra carissimo conseruo nostro qui est fidelis pro uobis minister christi qui et manifestauit nobis dilectionem uestram in spiritu. Ideo et nos ex qua die audiuimus: non cessamus pro uobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione uoluntatis eius. in omni sapientia. et intellectu spiritali: ut ambuletis digne deo per omnia placentes. in omni opere bono fructificantes: et crescentes in scientia dei. In omni uirtute confortati: secundum potentiam claritatis eius. In omni patientia et longanimitate cum gaudio. Gratias agentes deo et patri: qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum. et transtulit in regnum filii dilectionis sue. In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum: qui est ymago dei inuisibilis primogenitus omnis creature: quia in ipso condita sunt uniuersa in celis et in terra: uisibilia et inuisibilia: siue throni. siue dominationes. siue principatus: siue potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes: et omnia in ipso constant: et ipse est caput corporis ecclesie qui est principium primogenitus ex mortuis. ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare. et per eum reconciliare omnia in ipsum. pacificans per sanguinem crucis eius siue que in celis. siue que in terris sunt. Et uos cum essetis aliquando alienati et inimici sensus in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem. Exhibere uos sanctos et inmaculatos. et inreprehensibiles coram ipso. Si tamen permanetis in fide fundati. et stabiles: et immobiles a spe euangelii quod audistis. quod predicatum est in uniuersa creatura que sub celo est. Cuius factus sum ego paulus minister. qui nunc gaudeo in passionibus pro uobis. et adimpleo ea que desunt passionum christi in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia cuius factus sum ego minister: secundum dispensationem dei que data est mihi in uobis. ut impleam uerbum dei: misterium quod absconditum fuit a seculis et generationibus. Nunc autem manifestatum est sanctis eius. quibus uoluit deus notas facere diuitias glorie sacramenti huius in gentibus quod est christus in uobis spes glorie. quem nos annuntiamus. Corripientes omnem hominem et docentes in omni sapientia. ut exhibeamus omnem hominem perfectum in christo ihesu: in quo et laboro certando secundum operationem eius quam operatur in me in uirtute.

II

Volo enim uos scire qualem sollicitudinem habeam pro uobis. et pro his qui sunt laodicie. et quicumque non uiderunt faciem meam in carne ut consolentur corda ipsorum instructi in caritate. et in omnes diuitias plenitu-